

»Quod addunt Salmanticenses, *responsa sibimet contraria multoties reperi-ri id primo minus vere affirmatum esse censeo, præsertim si adverbium illud multoties attendatur; deinde in ipso libro Decretalium complures occurere notum est (septuaginta novem collegit Maschat in suis Institutionibus canonicis), quæ aliis decretalibus partim abrogatione, partim deroga-tione, partim moderatione correctæ sunt; neque tamen in mentem cui-piam venit auctoritati totius libri id quidquam officere, cum manifestum sit decretalem posteriorem antiquiori prævalere.*

»Nunc hoc sedulo est animadver-tendum, utrum responsa quæ afferun-tur data sint pro casu aliquo particu-lari, particularibus ejusdem circum-stantiis ratione habita, an in modum regulæ generalis fuerint proposita. Illa sane ad instar sunt judicariæ sententiæ; adeoque nonnisi inter litigantes jus faciunt, eisdemque tantum occurrentibus circumstantiis pro nor-ma in aliis casibus haberi possunt; at secunda generalem regulam tradunt, et ea ab omnibus servanda esse, non est dubitandum.

»Jam vero in ea materia de qua agimus, responsa quæ habemus, ad posteriorem hanc classem omnino pertinent. Numquam enim in parti-culari quæsitum est, utrum hic aut ille Episcopus dispensare possit ab impedimentis publicis, urgente ne-cessitate, sed formula generali, *utrum id possint Episcopi;* adeoque formula generali semper responsum est: *Non posse (1).* Neque id semel, aut bis, sed pluries, constanter, planeque uniformi-ter; neque temporibus tantum anteactis, sed etiam recentissimis. Quæ sane con-

(1) Tal es la respuesta general que se dió al señor arzobispo de Granada, de que el Obispo no puede en ningún caso dis-pensar de impedimentos públicos del ma-trrimonio, por urgentísimas que sean las circunstancias, y que no conviene que los Obispos pidan al Papa esta facultad.

sideratione digna sunt; nam et ii, qui liberius quoad responsa Sacrarum Congregationum senserunt, non diffi-tentur ex hujusmodi responsorum pluralitate, atque uniformitate coram ipso Pontifice editorum, *verissimam ejusdem voluntatem argui et manifes-tari.*

»Venio nunc ad S. Alphonsum ejusque operum approbationem; qua in re nihil mihi adlaborandum est, cum sanctum ipsum Alphonsum du-cem habeam. Is in dissertatione apo-logetica, p. 3, cap. 7, ubi agit de ca-suistarum auctoritate, sapienter ani-madvertis, complures esse Patres, ac S. Ecclesiæ Doctores, quorum nobis doctrina pro norma ab Ecclesia tra-ditur, qui tamen aliquam habent pro-positionem omnino rejiciendam. Quid ergo? An eorum auctoritas deserenda idcirco erit, iique male atque impru-denter tamquam duces dati nobis fuisse dicendi erunt? Nullo modo. Qua de ratione? Quia ejusmodi appro-bationibus, quibus eorum doctrina pro norma traditur naturalis inest conditio: *nisi evidenter constet eos in aliqua re, licet absque culpa, hallucina-tos fuisse.*

»Cum plura, quæ me urgent nego-tia longiores trahere moras me prohi-beant, tangam breviter quæ objicis ex theologica ratione.

»Ais, in extrema necessitate opini-one quomodocumque probabili li-cere uti. At salva Sacrarum Congre-gationum auctoritate ajentium propo-sitionem, de qua agimus esse falsam, ipse vides, quod nulla prædictæ pro-positioni, neque sufficiens, neque te-nuis probabilitas inest.

»Urges salutis animarum jura, qui-bus nulla potestas detrahere quid-quam potest. Fateor, si vitio legis (mala enim ipsius poenitentis disposi-tio curanda et amovenda est) animarum incurretur detrimentum eamdem a statu legis naturaliter dejici. At in-re de qua agimus nihil tale haberi, vel ipse animadvertis S. Alphonsus ver-

bis a temetipso citatis. Et re quidem vera, quid obesse animæ potest, si moriturus a concubina se separat? Si ejusmodi poenitentia scandali debi-tum solvat? Si pravorum affectuum sacrificio Deo mox ipsum judicatu-ro satisfaciat? Si salubriter et cum me-rito id agat quod horæ momento, ipso etiam invito, mors exequetur?

»At instas objiciens præsentis tem-poris conditionem quo, nimirum, ma-trimonium civile fere ubique consti-tutum est, et quidem ea lege, ut qui illud inierit, separare se prohibeatur. At ejusmodi prohibitio quid tandem evaleat adversus hominem jam jam moriturum, plane non video. Si enim convaluerit, tempus quoque renasceretur, quo possit ad S. Sedem recurri. Imo si rem penitus consideremus, civile hoc matrimonium difficultates minuit. Illud enim quod morientem angit, sollicitudo est de prole, quæ nisi matrimonium contrahatur, ille-gitima manet et hæreditate prohibe-tur. At ab iis qui matrimonio civili juncti sunt, nihil tale timeri potest; quandoquidem lex ipsa civilis et legi-timitatem (quoad societatem civilem), et omnia successionis jura proli lar-gitur.

»Properanti calamo, aliisque curis distentus hæc scripsi, ut voluntati tuæ parerem. Quapropter ea talia non censeo, quæ lucem publicam ferre valeant.

»Tibi me semper devinctissimum profiteor.—Romæ 17 Septembbris 1872.

Camillus Tarquini, e Societate Jesu.»

A la anterior carta del entonces P. Tarquini contestó el Sr. Sánchez con otra, en 26 de Septiembre de 1872, esforzando hasta donde le fué posible las dudas ó escrúulos que aún le quedaban sobre la presente cuestión. Por no alargarme, no transcribo la carta del Sr. Sánchez; por-que, como he dicho de la anterior, copiando la respuesta del P. Tarqui-ni, al leer las soluciones que da, se ven claramente los argumentos que

había opuesto el Sr. Sánchez. He aquí la última carta del P. Tarquini al Sr. Sánchez sobre esta materia:

»Vir clarissime: Humanissimæ litteræ tuæ consuetis annuis exercitiis spiritualibus deditum me repre-rent, quibus exactis, necesse mihi suit expedire negotia quædam urgen-tia; quæ duo in causa fuerunt, cur plus æquo respondere tibi distulerim.

»Gratissimum mihi fuit inspicere doctrinam et pietatem tuam, præva-lentemque doctrinæ pietatem; cum que talis sis, minime dubito quod fa-cile ex iis difficultatibus, quas mihi proposuisti, te extricabis, licet mea sive imperitia, sive in dicendo brevi-tas (quam angustiæ temporis semper mihi imponunt) ad sufficientem pers-picuitatem rem non aduxerit.

»Inter ea quæ scripsisti, illud sane natura sua est gravissimum, quod ve-reris totum S. Alphonsi morale siste-ma collapsurum esse, si responsis Sacrarum Congregationum vis legis tribuatur. Ais enim: «Totum S. Doc-toris sistema versatur in hisce princi-piis: *Lex dubia non obligat. Lex incerta non potest certam obligationem inducere.* At vis, quæ responsis inest Sacrarum Congregationum dici *certa* non potest, quando firmum illud principium te-neatur, *probabilem dicendam esse sen-tentiam, quam plures ex approbatis doc-toribus defendunt;* siquidem plures ex approbatis doctoribus responsis Sacra-rum Congregationum vim legis dene-gant.

»Fateor, principia illa *de lege dubia et incerta* firmiter tenenda esse. Quapropter totum pondus difficultatis in hæc tria recidit: 1.^o Utrum indefinite dici queat, sententiam esse probabi-lem, quam plures ex doctoribus appro-batis defendunt; an vero intra aliquos limites intelligendum id sit. 2.^o Utrum in materia de qua agimus ejusmodi principium applicari possit. 3.^o Utrum doctores denegantes vim legis respon-sis Sacrarum Congregationum revera-sint plures.

» Quod attinet ad primum, negari non potest, probabilitatem *extrinsecam* alicui sententia advenire ex numero doctorum qui eam defendunt. Sed hoc non indefinite tenendum esse probe nosti. Itaque in dissertatione prolegomena P. Francisci Zachariæ, Teologiae S. Alphonsi præfixa, quam quidem per errorem in postrema epistola S. Alphonso attribui, sed quæ, Alphonso ipso petente adeoque maxime probante, præfixa est (§ 2, cap. 5), habemus canonem secundum ita conceptum: «Theologorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit.» Fac igitur rationem ab iis adductam esse falsam, fac rationem aliquam evidentem et auctoritatem quamdam, quæ posthaberi nequeat, eisdem obesse, jamque vides, eorum sententiam ab omni probabilitate necessario dejici. Itaque, si historiam Theologiae moralis retexamus, haud paucas reperiemus sententias, quæ plures quidem aliquando habuere sectatores, ac postea tamquam falsæ rejectæ sunt.

» Hoc autem præstituto, videndum jam est utrum in quæstione de qua agimus, numerus ille doctorum qui objicitur, aliquid possit ad probabilitatem valere. Agitur de propositione generica, quæ regulariter Sacrarum Congregationum responsis vim legis detrahit. Nimirum securis ad radicem ponitur, totaque auctoritas Sacrarum Congregationum labefactatur! Jam vero omitto rationes, quibus illi utuntur, de quibus postea sermo erit, atque unum hoc quæro, utrum ratio evidens et auctoritas prævalens, cui obsisti nequeat, iisdem obsit. Auctoritas quidem præsto est; *praxis*, nimirum, ac *sensus totius Ecclesiae*. Ad sensum quod attinet, id sese prodit ex frequenti perpetuaque consuetudine, qua ex omni Ecclesiae parte in opinione conflictu implorata semper sunt

Sacrarum Congregationum responsa, ut conflictus dirimeretur: dirimeretur, inquam, ita ut responso recepto controversia ipsa finita censeri posset, aliterque opinantium auctoritas rejici deberet. Ejusmodi recursus et quidem hoc sensu litteris ipsis expresso, quotidie, ut ita dicam, et undecumque adveniunt; quo fit, ut ipsa Sacrarum Congregationum decreta *responsa* dicantur; perrarum quippe est, ut sponte ac motu proprio aliquid ab iis discernatur.

» At ad *proxim* quod pertinent, hoc certissimum est, Ecclesiæ Prælatos, si quod norunt Sacrarum Congregationum responsum, nefas existimare ab eo recedere, sique recedant, reprehensione dignos haberi, ac revera reprehendi. Quod igitur Prælatis ipsis non licet, id a privatis probabiliter fieri, quomodo dici poterit?

» At ratio evidens qua doctores illi oppugnantur, qui denegant responsis Sacrarum Congregationum vim legis, ea ipsa est, quam indicavi in postrema epistola. Nimirum auctoritas Sacrarum Congregationum ipsa est Summi Pontificis auctoritas. Summus enim Pontifex neque solet, neque, si vellet, posset Ecclesiæ regimen per se ipsum exercere. Itaque Sacras Congregaciones instituit, quibus tamquam organis utatur; ex quo sequitur perinde esse Sacrarum Congregationum decretis vim legis denegare, ac si Summi Pontificis denegetur: quod qui audeat, eum porro *probabiliter loqui*, nemo certe diceret. Qua de re intelligere satis numquam valui, quod aliqui doctores in responsis Sacrarum Congregationum exigunt, nimirum, ut constet de approbatione Romani Pontificis, quasi vero hæc approbatio meridianæ instar lucis perspicua non sit, sive ex ipsa institutione Sacrarum Congregationum, sive ex publico et quotidiano earum agendi modo, qui, praesente ac veluti inspectante S. Pontifice, ab iisdem tenetur, sive ex nōtissima curiæ *praxi*, qua secretarii

Congregationum, Romano ipsi Pontifici solent referre quæcumque ab iisdem decreta sunt. Est igitur auctoritas Sacrarum Congregationum ipsius S. Pontificis auctoritas, cuius eadem organa sunt; adeoque opinio quæ detrahit illarum auctoritati, ipsius S. Pontificis auctoritati detrahit, quod utrum probandum aut probabile haberi possit, tu ipse videris.

» At dicine vere potest, *plures esse doctores, qui vim legis responsis Sacrarum Congregationum denegant?* Equidem haud facile id affirmarim. Et primo quidem notum est, doctorum numerum aliquando inde crescere, quod alias alium nihil ultra expendens transcriptit. Notum quoque est, aliquas esse materias, in quibus doctoribus ceteroqui sanæ doctrinæ vitium aliquod solet irrepare ejus regionis in qua vivunt (1); in quo, ex. gr., vel in gratiam principum ita jubentium, vel in gratiam ipsorum Episcoporum, quorum potestas et auctoritas plus æquo exaggerari solet: quorum alterutrum si cuiquam quadret eorum doctorum de quibus agitur, nullo in numero eum esse, ita ut nulla probabilitas ex ejus dictis oriri queat, non est dubitandum. Sed hisce etiam omissis, hoc puto in hac materia verum esse, plures citari tanquam adversos Sacrarum Congregationum auctoritati, qui revera tales non sunt.

» Id patet, ni fallor, ex ipsis rationibus, quas illi adducunt ad opinionem suam confirmandam, quæ rationes hujusmodi sunt, ut eorum mentem plane diversam aperiant. Quænam illæ? Nimirum 1.º Quod responsa Sacrarum Congregationum dari solent in casibus particularibus. 2.º Quod de earum authenticitate non constat. 3.º Quod promulgatione carent. 4.º Quod sibimet contrariae aliquando re-

(1) Esto se nota especialmente en los escritores franceses sobre la disciplina de la Iglesia, extraviados por sus malhadadas libertades galicanas.

periuntur. 5.º Quod non constat, ut ipsi putant, facultatem auctoritative respondendi a Summo Pontifice habuisse.

» Hæc vero omnia quid sibi volunt? Nimirum hoc: si agatur de responsis non in casibus particularibus datis, sed generalibus; si ab hisce responsis generalibus vitia absint, quæ ipsis inesse opinantur; si satis constet Sacras Congregations in iis edendis facultatem a Summo Pontifice habuisse, eos quoque doctores vim legis in Sacrarum Congregationum responsis admittere. Atqui si ita censem, nobiscum consentiunt.

» Primo enim ne nos quidem dicimus, responsa quæ non instar regulæ generalis, sed pro casu aliquo particulari, peculiaribus ejus circumstantiis inspectis, data sint, vim legis in omnibus casibus habere; sed eatenus tantum pro aliis quoque casibus normam esse posse, quatenus eadem illæ circumstantiæ concurrant, quæ causa formalis responsi dati extiterunt.

» Secundo, si de veritate atque authenticitate alicujus responsi prudenter disputari possit, ad vim legis illud non assurgere juxta principia a te prolatæ: *Lex dubia non obligat*, etc.; et nos fatemur.

» Tertio, si agatur de responso, quod peculiari indigeat promulgatione, cuiusmodi ea sunt (sane rarissima), quæ non vetus declarant, sed jus novum constituunt, promulgatione non facta, nullam vim habere, nos etiam asserimus. Quod si præfati scriptores hanc promulgationis necessitatem in illis etiam responsis exigunt, quæ legem veterem declarant, tum profecto apertissime errant, eorumque opinionem ejusmodi rationi innixam, quæ apertissime falsa est, nullam, ne tenuissimam quidem probabilitatem gignere, non est dubitandum.

» Quarto, si responsa inter se contraria deprehendantur, contrarietate

sublata, vel illis ipsis scriptoribus fatendum erit suum robur iisdem renasci; contrarietatem autem per regulas communiter admissas facile depelli, neminem latet. Primo nimis eorum curanda conciliatio erit; deinde si conciliari nequeant, quod est aetate posterius praecedentibus preferri oportet.

» Quod vero attinet ad quintum, apertissime desipiunt, quemadmodum superius innui; neque illa ratio dici potest, sed magis calumnia, siquidem crimen haud sane mediocre Sacris Congregationibus impingit usurpatae majestatis, ita ut audeant decreta edere, ac jurisdictionem exercere absque legitima facultate.

» Neque igitur constat, plures esse doctores, qui vere et ex animo Sacrum Congregationum responsis vim legis denegant; neque si essent,ullo modo probabilem ejusmodi sententiam facerent, quippe quae sensu ac praxi totius Ecclesiae evidentique rationi repugnat, ex quo sequitur eorum sententia Sacrarum Congregationum auctoritatem dubiam incertamque redi non posse, ita ut allegari contra eas principia illa nequeant: *Lex dubia non obligat. Lex incerta non potest certam obligationem inducere.*

» Quod autem omnes simul non possunt, multo minus poterit solus S. Alphonsus, non obstante responso S. Poenitentiariæ, quo edicitur *omnes S. Alphonsi sententias tuto retineri posse: id que duplice de causa.* 1.º Quia in eo responso, ut in postrema epistola jam dixi, subintelligitur conditio nisi evidenter constet, eum in aliqua re, licet absque culpa, hallucinatum fuisse: et ratio est, quia secus predictum responsum in absurdum incideret: utrumque enim absurdum est: et si dicas opera S. Alphonsi prerogativa pollere Sacrarum Scripturarum, in quibus tantum, ut loquitur Canus, hanc felicitatem Deus inesse voluit, ut a sana doctrina numquam aberrent; et si dicas, S. Poenitentiariam edixisse, tuto re-

tineri posse S. Alphonsi sententiam, etsi evidenter constet, eum in illa hallucinatum fuisse. 2.º Quia S. Alphonsus, ni fallor (poteris autem tu melius id indicare, quia mihi properanti calamo scribenti memoria deficere potest), nullibi statuit aut defendit generalem illam propositionem Sacris Congregationibus adversam; ubi vero contra earum responsa saltem theoretice admisit, Episcopos in extrema necessitate etiam a publicis impedimentis dirimentibus dispensare posse, an madvertendum est, de illis responsis nullam ab eo mentionem fuisse factam; ex quo eruitur vel ignorata ab eo esse, vel saltem, cum scribebat, in mentem ei non venisse, quae si cognosset, aut in memoria habuisset, ne theoretice quidem sententiam illam fuisse admissurus.

» Jam vero Sacrarum Congregationum auctoritate salva illæsaque manente, ultro jam corruit, quemadmodum in postrema epistola animadvertis, quod ex alio principio addis, nimis, in extrema necessitate opinionem etiam tenuiter probabilem adhiberi posse. Cum enim Sacrae Congregationes, sive S. Officii, sive Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, responderint, opinionem tribuentem Episcopis facultatem dispensandi in extrema necessitate ab impedimentis dirimentibus publicis esse falsam (addunt autem etiam graviores censuras), jam simul declararunt, eam ne tenuiter quidem probabilem habendam esse. Etsi enim verum sit quod scribis, *tenuem probabilitatem, non esse veram probabilitatem, nihilominus evidens est, quod est aliqua probabilitas, quemadmodum tenuis peritia, ac fortitudo est aliqua peritia ac fortitudo.* At quod est falsum id nullam omnino probabilitatem habet, ac proinde ne tenuem quidem.

» At, inquis, id valde durum est, ut nullo casu, nullo motivo recedere ab ejusmodi pracepto liceat, cum sit disciplinare. At velim advertas, heic agi de lege irritante, et quae in Ecclesiæ

disciplina inter graviores numeratur, quemadmodum monet Rigantius in praclaro suo commentario ad regulas Cancellariæ, regula 48 in principio, huic ipse occurrentis objectioni, quam tu proponis. Jam vero id proprium est legum irritantium, praesertim graviorum, ut epikejam excludant, quemadmodum fuse docet Suarez, *De legib.*, lib. 5, cap. 23, praesertim, num. 3 et 4. Quod si durum privatis est, tamen, cum bono atque ordini publico necessarium censeatur, merito est ferendum, quandoquidem bono privato publicum prævalere, æquum est. Itaque etiam in foro civili id servari vides, in quo, ex. gr., testamentum debitum solemnitatibus destitutum irritum inexorabiliter habetur, licet necessitate imperante, solemnitates neglectæ fuerint. Quod sane hæredi ac legatariis durissimum videri debet.

» At, instas, diversa heic ratio est. Agitur enim non de lucro, aut detimento temporali, sed de favore amarum. Quid enim, inquis, parochus respondeat moribundo conquerenti: «Omnia in Deum commissa peccata dimittere potes: quae contra Ecclesiæ præcepta patrata sunt, non potes?» Respondebit, nimis, se dimittere omnia peccata sive contra divinas sive contra ecclesiasticas leges perpetrata, dimittere, dummodo sincere poeniteat, concubinatus delictum quoisque protractum, dimittere omnes actus fornicarios, sive incestuosos, dimittere spretum in iis perpetratis sive divinæ, sive ecclesiasticæ legis; atque ejusmodi ratione eum (concubina animo saltem relicta, si excludi e domo in eo articulo nequeat) paradisum, licet matrimonialis vinculi exsortem, introire libere posse: sed habilitare illum ad matrimonium (ceteroqui horæ momento morte abrumpendum) cum necessaria facultatis sit destitutus, non posse; nec si faciat, ejusmodi actum quidquam esse valitum; siquidem ad peccata dimittenda, non ad leges solvendas sibi facultas data

est. Quæ sane aliis compluribus exemplis, per alias nullitates, et inhabilitates discurrens, quæ sanari, vel tolli a confessario certe non possunt, tute ipse facile confirmare poteris.

» Velim tibi satisfecisse. Si tamen id non præstisti, meæ tribue imperitiæ. Nihilominus hoc certum habeto, opinionem quæ dat Episcopis facultatem dispensandi in extrema necessitate ab impedimentis dirimentibus, quæ publica sint, heic omnino reprobari.

» Rogo te, ut grata habeas ea, quæ tibi renovo, obsequii, eximiæque existimationis sensa.

» Romæ die 12 Octobris 1872.—
Camillus Tarquini, e Societate Jesu.»

3081. El Doctor San Ligorio retractó muchas de las proposiciones que había defendido en su obra lata, y otras en parte las corrigió. El elenco de estas proposiciones retractadas le puso el Santo Doctor después del tratado de las censuras, ó sea después del lib. 7.

En la primera serie de proposiciones retractadas pone el Santo noventa y nueve, en la segunda serie veintiséis. Pues bien: en la segunda proposición retractada en la segunda serie compendia San Ligorio lo que había dicho anteriormente acerca del valor de las declaraciones de la Sagrada Congregación de Cardenales en las primeras ediciones de su obra, que copió, comentó y amplificó en sus cartas D. Miguel Sánchez para apoyar su opinión; pero no tuvo presente ó no había visto la retractación de San Ligorio.

El Santo (lib. 1, num. 106, quær. 2) había dicho: «An declarationes Sacrae Congregationis Cardinalium vim legis habeant? Plures autores negant, nisi editæ sint non solum consulto Pontifice, sed etiam mandante, ut ipsæ solemniter per totam Ecclesiam promulgentur;» pero San Ligorio en su retractación, á continuación de las anteriores palabras, añade: «Adden-